



ב ש ש

ס. I.



miracula non eum in finem a DEO patrari, ut eorundem causas cognoscamus, sed potius ut voluntatem DEI revelatam agnoscamus, omnes, quotquot ea accuratius pensitarunt, fateri existimamus. Quis enim in miraculis' causarum ordinem penetrat, ut eorundem modum, quo istæ agunt, perspiciat? & quis ex iisdem rerum originem divinam, quam omnes creaturæ evidenter docent, intelligat? Sed quando DEUS hominibus suam voluntatem revelare, & promissiones persuadere vult, necesse est, ut per personas, quas misit, miracula patret, ne aliis rationibus destituti homines, ea in dubium vocent. Moses itaque Israelitas ex Ægypto educturus virtute divina producebat miracula, quibus illi convicti ejus mandata & leges a DEO acceptas studiose observarent. Mortuo Mose succedebat Josua, qui opus ab illo coeptum continuare, & Israelitas in terram promissam introducere jussus est. Israelitæ vero increduli animum ingrediendi abjecerant, potentia incolarum deterriti; Quare DEUS novo miraculo infirmos animos erigere, utque promissionibus fidem adhiberent, præparare voluit. Inde est, quod Jordane diviso Israelitis sicco pede transitum procuraverit, videntes enim hoc miraculum, non dubitare poterant de divino auxilio in occupandis Cananæorum urbibus sperando. Dissentiunt quidem Judæi, interque eos in primis *Maimonides de Funda-*

משה רבינו לא האמינו
 בו ישראל מפני האותות שעשה שהמאמן ער פי
 האותות יש בלבו דופי שאפשר שיעשה האות בלט
 וכשוק. אלא כן האותות שעשה. משה במדבר
 דפי

A